

<Lib. I, Q. 5, A. 2: Utrum coexistentia caritatis creatae sit necessaria ad recte agere potentiae volitivae>

1. Secundus articulus erat iste: Utrum coexistentia caritatis creatae sit necessaria ad recte agere potentiae volitivae. Pro cuius 5 articuli declaracione sic procedam: primo namque unam opinionem circa difficultatem propositam cum suis coloribus recitabo; secundo contra ipsam obiciam et suis rationibus respondebo; tertio opinionem communiter divulgatam meo modulo declarabo.

<Art. 1: Opinio Petri Aureoli>

10 2. Quantum ad primum est advertendum quod dominus Petrus Aureoli in opere ordinario, distinctione 17^a quaestione 1^a, tenet quod impossibile est per quamcumque potentiam aliquem operari meritorie sine caritate creata.

<Conclusio 1>

15 3. Pro quo declarando tres in hac parte ponit conclusiones. Quarum prima est haec: "Aliqua est forma creata quae ex natura rei et de necessitate cadit sub Dei complacentia per cuius existentiam in anima ipsa acceptatur et redditur Deo grata." Ista conclusio sic probatur: "Nullus actus immutabilis et aeternus transit de novo super 20 obiectum aliquod, nisi quia eius obiectum aeternum et immutabile formaliter participatur de novo ab aliquo obiecto materiali super quod noviter transit." Ista propositio declaratur, quoniam "si poneretur aliqua visio creata alicuius coloris, posset transire de novo nunc super lignum nunc super lapidem. Si color ille aeternaliter visus 25 participaretur, nunc a lapide nunc a ligno, formaliter et inhaerenter. Si aliter transiret visio immediate super lignum aut super lapidem, impossibile esset quod actus ille esset aeternus. Cuius ratio est, quia actus non potest de non-transeunte super lignum fieri transiens, nisi aliqua mutatione facta in ipso actu – et tunc non erit aeternus – vel in 30 ipso ligno, et tunc aliquid formaliter sibi inhaeret quod non inhaerebat per prius." Patet igitur illa propositio. "Sed actus dilectionis et acceptationis divinae, qui est immutabilis et aeternus, nunc acceptat unum nunc alium, nunc diligit animam nunc non diligit eam dilectione caritativa," ut patet cum quis de impio fit pius et e contra. "Ergo 35 necessario ab anima participatur formaliter et inhaerenter aliquod obiectum immutabile et aeternum divinae dilectionis. Illud autem non

C 88ra

152,15 Pro quo] Ista argumenta eisdem verbis et eodem ordine inveniuntur recitata ab Ockham in suo *Scripto I*, d. 17, q. 1, ed. G. ETZKORN (OTh III, 441-445); cf. etiam GUIL. OCKHAM, *Quaest. Variae*, q. 1, ed. G. ETZKORN-F. KELLEY (OTh VIII, p. 3-27). **16**
Quarum prima] PETRI AUREOLI, *In I Sent.*, d. 17, a. 2 (ed. Romae 1596, 408b-410b).

potest esse divina essentia, quia nulli inhaeret formaliter; ergo est aliqua creatura;” et non substantia ut appareat, igitur aliquod accidentis.

4. “Praeterea, sicut se habet esse odium a Deo, ita esse carum Deo respectu voluntatis creatae; sed nihil est oditum a Deo quin divina essentia reperiat in eo aliquid odibile et detestabile ex natura rei quod dat formaliter esse oditum. Peccatum enim formaliter oditur a Deo iuxta illud propheticum: *Videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Ergo per oppositum nullus acceptatur caritative a Deo nisi ex hoc quod est in eo aliquid reddens ipsum ex natura rei formaliter acceptum.”

5. “Confirmatur ratio quoniam formae oppositae habent ex natura rei formaliter effectus oppositos, sicut apparet de albedine et nigredine, quia sicut albedo dat esse album, ita nigredo dat esse nigrum. Ergo pariformiter si iniquitas ex natura rei est Deo odibilis et dans esse oditum, sequitur quod erit aliqua forma sibi opposita quae dabit formaliter et ex natura rei esse dilectum et Deo acceptum; quare propositum.”

6. “Praeterea, Deus est dilector rationabilissimus, quia non amat absque rationabili motivo; sed dilectio et amor secundum rectam rationem merentur readamatiōnē dummodo sit circa diligibilia. Quia quamvis vitiosus non mereatur propter suum amorem readamari quoniam amicitia virtuosa fundatur super communicatione virtutum, ut patet VIII et IX *Ethicorum*, nihilominus virtuosus amans aliquem virtuosum meretur readamari, iuxta illud sapientis describentis legem amoris, Prov. 8: *Ego diligentes me diligo et qui mane vigilavit ad me inveniet me.* Ergo ex natura rei Deus diligit omnem diligentem se et habentem habitum caritatis, secundum quod salvator, Ioan. 14 protestatur: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit et Pater meus diligit eum et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.* Et per consequens existential[caritatis in aliquo necessario redibit ipsum necessario Deo acceptum.”

7. “Praeterea, quicumque ex natura rei diligit iustitiam, caritatem et ceteras virtutes necessario diligit participantem illas virtutes; sed Deus immutabiliter et de necessitate naturae diligit caritatem, iustitiam et omnem virtutem; ergo Deus necessario diligit participantem illam virtutem, caritatem videlicet et iustitiam. Consequentia patet. Et maior declaratur, quoniam impossibile est aliquem actum ferri super aliquam formam et illum non ferri super participantem illam formam, sicut impossibile est quod aliquis videat albedinem inhaerentem Sorti, et

^{C 88rb} **43** Videbo...44 es] Ps. 5, 5. **59** Ethicorum] Cf. ARIST., *Eth. Nic.*, VIII, c. 1 (AL XXVI-4, 520; Θ, c. 1; 1155a 3-4); eiusdem, IX, c. 3 (AL XXVI-4, 547; I, c. 3; 1165b 15-20). **61** Ego...62 me] Prov. 8, 17. **64** Si...65 faciemus] Ioan. 14, 23.

non videat Sortem materialiter vel per accidens. Et per consequens impossibile est actum dilectionis ferri super caritatem et non ferri super participantem ipsam. Et minor probatur, quoniam Deus immutabiliter se ipsum diligit, et per consequens immutabiliter, cum sit iustus, diligit omnem virtutem, et quoniam semper iustus, semper diligit omnem virtutem, quoniam nullus est iustus qui iustitiam non diligit secundum beatum Augustinum. Unde et Philosophus, *I*
Ethicorum: “Non est bonus qui non gaudet bonis operationibus.” Et per consequens ea necessitate qua Deus diligit suam iustitiam et complacet in sui amore, complacet in omni anima participante iustitiam;” quare propositum.

8. Praeterea et ultimo ad istam conclusionem arguitur sic: "Deo est acceptum quidquid secundum veritatem est delectabile et acceptabile atque pulchrum; sed virtutes secundum se ipsas sunt pulchrae et bona et delectabiles secundum veritatem, et maxime amor Dei; ergo videtur quod Deus ex natura rei complacet in virtutibus et maxime et ultimate in sui habituali amore. Consequentia et minor patent. Et maior est Philosophi, III *Ethicorum*, dicentis quod virtuosus tamquam bene dispositus est mensura eorum et regula qua delectabilia sunt et placentia secundum veritatem;" quare propositum.

9. Ex quibus apparet conclusio quoad ambas partes, videlicet quod aliqua est forma quae ex natura rei et de necessitate cadit sub Dei complacentia. Et hoc per duas primas rationes et similiter per tres sequentes apparet quod per existentiam talis formae in anima necessario redditur Deo grata.

<Conclusio 2>

10. Secunda conclusio est haec: “forma cuius existentia in anima reddit animam Deo gratam ex divina acceptatione formaliter non profluit effective.” Ista conclusio sic probatur: “illud enim quo divina acceptatio et dilectio applicatur ad animam, et cuius participatio est animae formalis ratio ut acceptetur, non potest profluere a Dei dilectione super animam transeunte; sed participatio huius formae reddit animam gratam et applicat dilectionem divinam ad animam; ergo huiusmodi forma non potest a divina acceptatione formaliter profluere effective.” Consequentia patet, et minor appareat per superius declarata. Et maior probatur, “quoniam impossibile est prius

82 Augustinum] Cf. AUGUST., *De civ. Dei*, XIV, c. 25 (CCL 48, ???; CSEL 41-2, ???; PL 41, ???): Nullus beatus nisi iustus. Sed etiam ipse iustus non vivet ut vult || Philosophus] ARIST., *Eth. Nic.*, I, c. 9 (AL XXVI-4, 386; A, c. 9; 1099a 17): Cum dictis enim nullus est bonus, qui non gaudet bonis operationibus. **93** Philosophi] Cf. ARIST., *Eth. Nic.*, III, c. 5 (AL XXVI-4, 418; Γ, c. 5; 1113a 32-b1).

C 88va

dependere a suo posteriori formaliter effective; sed ratio qua aliquid acceptatur ut sic prius est acceptatione; talis ergo non profluit ab acceptatione Dei.” Verbi gratia, si albedo est ratio qua aliquid dealbatur, dealbatio non potest esse causa albedinis, sed potius e converso, vel saltem neutrum est causa alterius; ergo similiter si aliquid sit quo formaliter aliquid acceptatur, illud numquam erit ab acceptatione effective; et per consequens illa maior est vera. Et ita est de forma huiusmodi ut iam dictum est; quare propositum.

11. “Praeterea, impossibile est actum aeternum et immutabilem de novo transire super animam nisi propter participationem novam in anima obiecti immutabilis et aeterni. Sed si Dei dilectio, quae immutabilis est et aeterna, transit de novo super animam, et ex hoc profluit in ea actus caritatis per oppositum opinantem, sequitur quod anima formaliter participat aliquod obiectum aeterne et immobilis dilectionis Dei aliud ab habitu gratiae. Sed hoc est impossibile, quia tunc essent in anima duae formae gratificantes: prima quidem per quam applicatur Dei dilectio ipsi animae, secunda vero habitus gratiae profluens ex dilectione, quod videtur falsum;” quare propositum.

12. “Praeterea, sicut se habet generalis dilectio ad illud super quod transit, sic et se habet caritativa dilectio ad animam acceptam et gratam; sed ex generali dilectione Dei qua complacet in omni creatura, non profluit creatura in esse alias cum immutabiliter diligit omnem creaturam immutabiliter proflueret omnis creatura in esse; ergo nec caritas profluit in anima grata ex Dei dilectione caritativa, sed magis est ratio quod Dei caritativa dilectio applicetur ad eam, sicut realitas creaturarum est ratio obiectiva diligendi quae sunt, nec ex hoc quod diliguntur realitates earum in esse profluent, quoniam diligere aliquid presupponit illud cum presupponat eius cognitionem;” quare etc.

<Conclusio 3>

13. Tertia conclusio est haec: “forma qua redditur anima grata est quaedam habitualis Dei dilectio quae ab ipso infunditur, nec amore amicitiae virtuosae ex puris naturalibus generatur.” Haec conclusio habet duas partes. Et prima est haec quod huiusmodi forma est quaedam habitualis Dei dilectio. Quae sic probatur: “illud quod est amicitiae completivum et complacentiae promovens amorem amicitiae circa Deum est illud quo formaliter et ultimate anima fit accepta; sed readamatio est complementum amicitiae virtuosae; ergo readamatio est illud quo formaliter et ultimate anima fit accepta. Cum igitur huiusmodi readamatio in homine ratione status imperfectionem connectentis non potest esse iugiter actualis, sequitur quod erit ad

C 88vb

152,145 habitualis...146 amorem] *in imo fol. C*

minus habitualis." Consequentia patet. Et maior ex hoc declaratur: "quoniam sicut in creaturis, maxime inter homines, est amor cuiusdam benevolentiae respectu eorum qui non amantur amore amicitiae, ut
 155 respectu extraneorum vel noviter occurrentium, et cum hoc est quidam amor amicitiae quem complet readamatio." Sic in Deo apparet, videlicet amor generalis respectu omnis creaturae qui est amor simplicis complacentiae quem Deus habet respectu malorum et omnium peccatorum et demonum et irrationalium creaturarum, qui
 160 non habet annexam readamationem creaturarum ex parte, et cum hoc est amor caritativus similis amori amicitiae quo Deus diligit creaturam quae meretur readamationem ex toto conamine." Sic igitur apparet quis amor complet amicitiam et quis non. Et minor est de se nota; quare propositum.
 165 **14.** "Praeterea, effectus oppositi habent reduci in oppositas causas, et maxime cum fuerint effectus formales; sed illud quo formaliter anima redditur odita et detestabilis est odium; ergo per oppositum, illud quo anima redditur grata et accepta erit dilectio. Sed ista non potest semper esse actualis cum homo sit in continuo fluxu;
 170 ergo sufficit quod sit habitualis, quia licet ex parte Dei sit continuus actus, non tamen hoc est semper ex parte creaturae."

15. "Praeterea, illud complet rationem acceptabilitatis in anima quoad Deum quo solo posito secundum rectitudinem rationis, Deus allicitur, et quo non posito, omni alio concurrente, nondum allicitur ad
 175 amandum. Sed ita est de divino amore quicumque actus eliciatur, si Deus non ametur, recta ratio dictat quod non debet esse Deo acceptus, immo nec homo actu alterius acceptaret nec obligaretur ad readamandum, ut patet. Solus autem amor reddit acceptum omnem actum, ergo acceptabilitas in ordine ad Deum est completie ex
 180 quodam habituali amore;" quare etc.

16. Secunda pars conclusionis probatur, videlicet quod huiusmodi habitualis Dei dilectio a Deo infundatur et non acquiratur ex puris naturalibus arguitur sic: "omnis habitus in nobis ex puris naturalibus acquisitus, vel est per assuefactionem acquisitus, vel ab aliqua causa extrinseca naturaliter ipsum in voluntate causante; sed habitus caritatis est acquisitus et nullo¹⁸⁹ istorum modorum, ergo sequitur quod non est ex puris naturalibus acquisitus, et per consequens a solo Deo infunditur." Consequentia et maior patent. Et minor probatur, "quoniam nullus habitus cuius circumstantiae totaliter
 185 ignoratur est per assuefactionem vel ab aliqua causa extrinseca naturaliter ipsum in voluntate causante acquisitus in voluntate; sed habitualis Dei dilectio est huiusmodi;" ergo propositum. Consequentia
 190 C 89ra

¹⁸⁹ minor] patet ex hoc add. sed del. signis va-cat C

patet et maior ex hoc, “quoniam recta ratio dictat circumstantias habituum acquisitorum per exercitium vel modum naturalem, ut patet per Philosophum, II et VI *Ethicorum*. Et minor apparet per Apostolum II Ad Cor. cap. 3: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis tamquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et in multis aliis Scripturae locis apparet expresse quomodo ignoramus totaliter circumstantias caritativae dilectionis,” quare propositum.

195

17. “Praeterea, quilibet excedens totam facultatem humanae naturae est ab aliquo principio exteriori distincto a voluntate humana; sed caritativa dilectio est excedens totam facultatem naturae humanae; ergo est ab aliquo exteriori; non a naturali agente creato, ergo a solo Deo.” Consequentia et maior patent. Et minor ex hoc, “quoniam natura inclinatur ad se ipsam quantum potest, et per consequens habitus ipsam excedens supra se ipsam est excedens facultatem talis naturae.” Cum igitur hoc faciat habitualis caritativa dilectio, sequitur propositum.

200

205

18. Est igitur imaginatio istius doctoris, quantum possum ex dictis suis perpendere, quod quaelibet creata caritas est extrinsece caritas, ita quod contradictionem includit ipsam esse et non esse dilectionem, sicut albedo est intrinsece albedo et est contradictio quod ipsa sit et non sit color. Et per consequens sicut impossibile est albedinem esse in aliquo subiective quod non denominet formaliter esse album, ita impossibile est in aliquo caritatem existere quod non sit Deo carum. Unde necessario haec forma cadit sub Dei complacentia, ita quod ipsa posita in anima, sequitur necessario ipsam animam esse Deo gratam. Et ideo sicut esse album est effectus formalis albedinis, ita esse carum est effectus formalis caritatis. Quam ergo impossibile est album esse sine albedine, tam et aliquid dici carum sine caritate. Et ideo esse carum non provenit effective ab acceptatione divina, sicut esse album non provenit a dealbatione. Haec autem forma non potest effective produci nisi a Deo. Et per hoc apparet descriptio caritatis secundum eum: quod caritas est habitualis Dei dilectio ab ipso immediate infusa in appetitu rationali super quam transit immutabiliter et ab aeterno divina complacentia a qua formaliter non profluit effective. Et sicut dicit iste doctor de caritate, ita generaliter diceret de omni actu intellectus et voluntatis quod sunt intrinsece tales. Unde apud eum notitia intuitiva est quaedam qualitas absoluta intrinsece talis, et ideo dicit ipsam posse esse sine sui obiecti praesentia, ut alias dixi de ipso 3 articulo 1 quaestionis. Sic igitur

210

215

220

225

230

C 89rb

195 Philosophum] ARIST., *Eth. Nic.*, II, c. 2 (AL XXVI-4, 397; β, c. 2; 1103b 27-34); eiusdem, VI, c. 1 (AL XXVI-4, 479; Z, c. 1; 1139a 22-35). **196** Non...197 est] II Cor. 3, 5. **231** alias dixi] Cf. PETRI DE CANDIA, *Lectura in I Sent.*, q. 1, a. 3, n. 12.

apparet mens istius doctoris circa difficultatem propositam. Et sufficiat ad praesens de primo.

<Art. 2: Contra opinionem Petri Aureoli>

- 235 **19.** Contra positionem istius doctoris, videlicet primam et secundam conclusiones et fundamentum positionis, arguo sic aliquibus mediis. Et prima contra suam primam conclusionem quae dicebat quod aliqua est forma creata quae ex natura rei et de necessitate cadit sub Dei complacentia per cuius existentiam anima ipsa acceptatur et redditur Deo grata. Contra: si aliqua forma necessario ex natura rei cadit sub Dei complacentia: aut hoc est propter bonitatem naturalem talis formae, aut propter bonitatem moralem. Si primo modo, cum creatura rationalis sit multo perfectior, sequitur quod creatura rationalis erit magis accepta quam sit talis forma, et per consequens frustra ponitur talis forma ut creatura rationalis acceptetur. Si vero propter bonitatem moralem, contra: ex hoc consurgit bonitas moralis quia est in potestate alicuius cui potest ad bonum imputari. Vel ergo ista bonitas consurgit ex hoc quod est in potestate Dei, vel ex hoc quod est in potestate creature. Non primo modo, quia illa creatura rationalis aequa est in potestate Dei sicut est huiusmodi forma; ergo propter hoc non necessario oportet ponere talem formam. Nec secundo modo, quia talis forma non est in potestate creature cum sit a solo Deo, ut ipsem dicit in sua conclusione tertia.
- 255 **20.** Si DICATUR quod licet non sit in potestate creature effective, est tamen dispositio quia in potestate creature est se disponere ad talis formae susceptionem, CONTRA: parvuli, nondum habentes usum liberi arbitrii, suscipiunt talem formam, et tamen nullam habent huiusmodi praeviam potestatem; quare propositum.
- 260 **21.** Praeterea, inimicitia vel amicitia inter aliquos non tollitur per aliquid quod non est in potestate voluntatis nisi occasionaliter aliquando. Verbi gratia, si nunc sum inimicus Sortis, numquam essem amicus eius formaliter per lapidem vel per equum; sed oportet quod per actum proprium voluntatis qui est in sua potestate. Cum¹ igitur 265 habitus creatae caritatis non sit in potestate voluntatis, sequitur quod per positionem ipsius in anima non sit quis formaliter amicus Dei, quia sine contradictione staret huiusmodi habitus in voluntate cum actu perverso voluntatis respectu Dei, et per consequens ex eius existentia in anima, anima non redditur necessario Deo grata; quare 270 propositum.

C 89va

²³⁷ contra...primam] Cf. supra n. 3. ²⁵⁴ conclusione tertia] Cf. supra n. 16.

22. Praeterea, actus diligendi Deum super omnia cum proposito sustinendi pro ipso martyrium et cum ceteris circumstantiis requisitis, reddit hominem magis Deo gratum quam quicumque habitus caritatis. Sed stante quocumque actu huiusmodi in voluntate, Deus potest non acceptare huiusmodi voluntatem; ergo stante habitu caritatis in 275 voluntate, Deus potest voluntatem huiusmodi non acceptare. Consequentia patet. Et maior ex hoc, quoniam actus huiusmodi laudabilior videtur tali habitu, tamen etiam quia actus huiusmodi magis repugnet peccato cum formalius respiciat actum peccati. Et minor 280 appareret, quoniam existens in puris naturalibus sine contradictione posset huiusmodi actum habere, et tamen ex hoc non acceptaretur ad vitam aeternam; ergo minor propositio vera, et per consequens propositum.

23. Contra secundam conclusionem quae dicit quod huiusmodi forma non provenit a divina acceptatione effective, arguo sic: Deus 285 temporaliter infundit voluntati creatae habitum caritatis: vel ergo ex hoc quod aeternaliter statuit ipsam voluntatem creare, vel ex hoc quod ipsam aeternaliter praedestinavit. Non primo modo, quia sic talem habitum crearet in qualibet creatura, quod falsum est. Si ergo secundo modo, cum talis praedestinatio sit aeterna Dei acceptatio, sequitur 290 quod ex hoc temporaliter infundit caritatem quia aeternaliter acceptavit. Et per consequens acceptatio Dei videtur huiusmodi formae causa formaliter effectiva; quod est propositum.

24. Praeterea, ab illo a quo praestituitur alicui aliquis finis, ab ipso etiam eidem praestituitur medium requisitum ad talem finem, ut 295 appareat in formis naturalibus, utputa in levibus et gravibus. Constat enim quod ab agente ordinatur grave ut sit deorsum, et similiter ab eodem grave habet principium ut possit moveri deorsum, et sic de aliis. Cum igitur creatura rationalis ex mera gratia sit ordinata ad vitam beatam, sequitur quod ex mera gratia etiam sunt ordinata media ad acquirendum vitam aeternam. Igitur quam ex aeterna acceptatione isti datur temporaliter vita beata, tam ex aeterna acceptatione suscipit caritatem, et per consequens ratio formaliter huiusmodi formae est ab 300 acceptatione divina; quod est propositum.^{c 89vb}

25. Praeterea, vel loquitur de caritate in esse reali, vel in esse tantummodo obiectivo. Si primo modo, constat quod provenit effective a divina acceptatione sicut et quaelibet alia creatura provenit ex generali amore. Nam ex hoc videtur creatura produci quia efficaciter Deus vult ipsam esse et quod nil aliud videtur quam suum beneplacitum et gratuita acceptatio. Si vero loquitur de esse obiectivo, 305 vel illud provenit ex actu intellectus divini, vel ex actu voluntatis. Non 310

284 Contra secundam] Cf. supra n. 10.

primo modo, quia tunc necessario acceptasset voluntatem creatam ad vitam aeternam, et per consequens consimiliter praedestinatis, quod non videtur verum. Si ergo provenit ex actu voluntatis, sequitur quod 315 provenit ex actu gratuito et acceptativo, et per consequens sive loquatur de esse reali talis habitus sive obiectivo, semper provenit a divina acceptance.

26. Contra fundamentum positionis quod consistit in hoc quod Deus non potest aliquem acceptare sine tali caritate creata, arguo sic: 320 vel talis habitus requiritur in voluntate ad hoc quod voluntas acceptetur in genere causae efficientis, materialis, formalis vel finalis. Non materialis, ut apparet. Nec formalis quod probo, quoniam talis habitus ponitur ad hoc quod quis habeat vitam aeternam; sed certum est quod sine tali forma posset sibi dare vitam aeternam; ergo non 325 requiritur ut formalis causa. Probo minorem quoniam quidquid Deus potest sine tali habitu ... ad vitam aeternam, potest sine tali habitu acceptare ad vitam aeternam; sed Deus de sua potentia absoluta potest sine tali habitu praeparare ad vitam aeternam cum contingenter ordinaverit huiusmodi habitus medios caritativos; ergo et sine talibus 330 potest aliquem acceptare ad vitam aeternam. Si ergo requiritur in genere causae efficientis vel finalis, sequitur illud idem; quare propositum.

27. Praeterea, arguo sicut ipse arguit: sicut se habet esse oditum a Deo, sic esse carum Deo respectu creatae voluntatis. Hoc 335 assumptum est suum. Sed sic se habet esse oditum quod sine quacumque forma positiva ex parte voluntatis, erit ipsa voluntas a Deo odita. Ergo sic se habebit esse carum Deo quod sine quacumque forma positiva, erit Deo cara voluntas. Minor probatur, quia post actum peccati mortalis, nihil positivum videtur in peccatore manere nisi 340 diceretur quod habitus. Sed hoc non obviat, quia dato quod huiusmodi habitus secluderetur, non minus hic esset peccator et per consequens oditus.

28. Et confirmatur, nam parvulus in originali peccato existens est a Deo oditus, et tamen ibi nullum est positivum, cum peccatum| 345 originale sit carentia debitae iustitiae et per consequens privatio; quare non positivum, quod est propositum.

29. Praeterea, sicut se habet habitus caritatis ad hoc quod sit dilectus, sic et habitus detestabilitatis ad hoc quod aliquis sit oditus; sed in vitiis enutritus et habituatus potest conteri sine totali remissione 350 talium habituum vitiosorum; ergo potest stare cum habitu caritatis. Si ergo propter nonexistentiam caritativi habitus, haec creatura est Deo

C 90ra

326 aeternam] cum contingenter ordinaverit huiusmodi habitus medios caritativos *add.*
sed del. signis va-cat C **327** sed...329 caritativos] *in imo fol. C*

cara; ergo similiter propter inexistentiam detestativi habitus, haec creatura erit odita; ergo in tali casu creatura huiusmodi esset simul odita et cara, quod videtur absurdum. Et possibilitas casus apparet ex his quae declarata sunt in secundo articulo primae quaestio[n]is. Et 355 potest etiam apparere, quoniam in magno peccatore noviter baptizato infunditur caritas, et tamen ita sentit se inclinatum ad peccatum sicut se prius sentiebat; quare propositum. Sic igitur apparet quod positio illa non videtur usquequaque vera.

<Ad rationes Petri Aureoli>

360

30. Ad rationes igitur factas pro praedicta opinione respondeo. Et primo ad primam cum arguebatur pro confirmatione primae conclusionis sic: “Nullus actus immutabilis et aeternus transit de novo super obiectum aliquod nisi quia eius obiectum aeternum et immutabile formaliter participatur de novo ab aliquo obiecto materiali supr[em]o quo noviter transit.” Pro solutione istius argumenti est advertendum quod dupliciter: uno modo generaliter, alio modo specialiter. Generaliter sumitur complacentia divina pro ipsa divina essentia connotando quamlibet condicionem participantem rationem bonitatis in esse actuali, vel praeterito, possibili vel futuro. 365 Et sic non solum dicitur praeSENTIA diligere verumetiam et non-existentia in rerum natura, sicut et modo mihi complacet beatitudo futura quam non habeo. Complacentia vero prout futurum specialiter solet tripliciter accipi. Primo modo est respectu existentis vel illius quod erit existens, et isto modo dicitur complacere in his quae de potentia ordinata sunt praeparata. Unde si nihil aliud ordinaret, et omnia quae sunt destrueret, isto modo in nullo complaceret nisi in se ipso. Secundo modo accipitur complacentia secundum rationem obiecti nobilioris, et isto modo plus dicitur complacere in natura substantiali quam in aliqua natura accidental[i], quia modus nil aliud dicit quam exhibitionem maioris boni. Et ideo 370 quia substantia maius bonum est accidente, ideo magis dicitur in substantia quam in accidentibus complacere. Tertio modo dicitur complacentia respectu alicuius producendi et perficiendi secundum maximum et nobilissimum genus perfectionum accidentalium, nisi ex parte talis perficiendi proveniat impedimentum, et hoc nil aliud est 375 380 385

C 90rb

355 declarata sunt] Cf. PETRI DE CANDIA, *Lectura in I Sent.*, q. 1, a. 2, n. ?? **362** ad primam] Cf. supra n. 3. **368** complacentia] Cf. GUIL. OCKHAM, *Scriptum in I Sent.*, d. 17, q. 1, ed. G. ETZKORN (OTh III, 458).

quam conferre creaturae rationali, non ponenti obicem, maximum et nobilissimum genus perfectionis accidentalis, cuiusmodi est beatitudo sive aeterna vita. Et sic potest acceptare et non acceptare certam

390 creaturam rationalem.

31. Ulterius advertendum est quod transitus alicuius actus, utputa visionis vel dilectionis, potest intelligi dupliciter. Uno modo quando huiusmodi transitus est circa obiectum totaliter distinctum a tali actu, et sic transit tota substantia actus extra potentiam visivam vel

395 fruitivam. Alio modo quando huiusmodi actus fertur circa aliquod obiectum non-distinctum a tali actu per quod obiectum diligitur vel cognoscitur aliquid distinctum a tali actu; et tunc stat actum huiusmodi permanere sine tali obiecto distincto, licet non primo modo.

32. His igitur praemissis, dico ad materiam argumenti cum

400 dicitur quod actus divinae dilectionis nunc acceptat Sortem, nunc deacceptat eundem. Si capit acceptationem primo modo, falsum est; si secundo et tertio similiter falsum est. Si vero quarto modo, videlicet prout vult sibi vitam aeternam conferre, hoc potest esse dupliciter. Vel secundum aeternam Dei praedestinationem, vel secundum in

405 quo si perseveraret finaliter haberet vitam aeternam. Primo falsum est, quia quod semel isto modo acceptavit, numquam deacceptat. Si vero capiat secundo modo, verum est quod nunc deacceptat illum, nunc acceptat, quod nil aliud est quam quod in se quod est in tali statu in

410 quo si perseveraret, haberet vitam aeternam, nunc vero non. Et sic sumendo, concederetur minor. Sed ex hoc non oportet inferre aliquam formam noviter producta.

33. Et si DICATUR quod necessarium est propter transitum contradictiorum qui fieri non potest sine reali mutatione, hic DICO quod transitus de contradictorio ad contradictorium potest fieri

415 tripliciter: quandoque per mutationem realem alterius extremi, quandoque per mutationem alterius distincti ab ipsis extremis, et quandoque per solum transitum temporis. Verbi gratia de primo, Sortes nunc est calidus, postea non est calidus per corruptionem caliditatis quae existebat in eo. Verbi gratia de secundo, Sortes nunc

420 est in gratia Dei, nunc non est; si hoc fieret ad preces alicuius sancti viri, et tamen in Sorte non esset mutatio nec in Deo, sed in viro sancto porridente preces. Verbi gratia de tertio, si aliquis faciat qui potest iustum paeceptum, utputa rex quod existens in camera sua die lunae, habebit centum aureos, et existens die martis suspenditur. Et sic Sortes

425 dormiens in camera a die dominico usque ad diem mercurii, tunc ibi erit huiusmodi transitus qui est solum per temporis transitum. Sic esset

C 90va

426 temporis] spatium *add. sed del. C*

possibile Deo de acceptatione respectu Sortis et de acceptatione respectu eiusdem.

34. Et si DICATUR quod tunc esset sine mutatione reali, DICO quod falsum est, quia transitus temporis est realis mutatio et cum hoc est adhuc pertinens. Ubi autem transitus temporis non esset ad hoc pertinens, esset difficultas, cuiusmodi non est in proposito. Et sic 430 apparel quod non est necessaria productio talis formae.

35. Ad secundam rationem cum dicitur sicut se habet esse oditum a Deo sic esse carum Deo respectu voluntatis creatae, hic dico quod, salva reverentia, ista ratio est potius contra eum quam pro eo, quia aliquis potest esse oditus sine quacumque forma positiva inhaerente, ut patet in parvulis. Ergo similiter potest esse acceptus sine quacumque forma inhaerente. Et ideo si maior sua sumatur universaliter, aequa concludit pro eo sicut contra eum. Si vero sumat 440 eum particulariter, certum est quod consequentia nihil valet.

36. Et ad confirmationem quando dicit quod formae oppositae 445 habent effectus formales oppositos, hic dico quod iniquitas non dicitur forma positiva cum sit privatio aequitatis, licet tamen ex tali consurgat quaedam denominatio, sicut ex privatione visus homo dicitur caecus quae non dicit denominationem aliquam positivam. Et ita per assumptum quod assumit, ratio parum concludit.

37. Ad tertium quod assumit quod Deus est rationabilissimus dilector et per consequens non amat sine rationabile motivo, hic dico quod Deus non movetur a rebus ut ipsas diligat, sed mere liberaliter 450 omnes diligit quos ad vitam praedestinat, quia praedestinationis nulla est causa vel motivum ex parte creaturae, sed ex sola liberalitate divina. Unde per illam rationem concluderetur quod ex puris naturalibus quis haberet Dei caritativam dilectionem, quoniam si Deus diligit necessario aliquem ex hoc quod talis diligit Deum, cum ex puris 455 naturalibus quis posset Deum super omnia diligere, sequitur quod talem Deus necessario diligenter dilectione caritativa, et per consequens esset in caritate secundum imaginationem istam, quod falsum est; quare propositum.

C 90vb **38.** Ad quartum cum assumit quod Deus necessario diligit iustitiam et omnes virtutes et per consequens habentem ipsas, hic dico quod capiendo primo modo diligere sive complacere, ita diligit ipsum Sortem sicut ipsum habitum virtuosum. Si vero tertio modo, adhuc plus substantiam quam tale accidens. Si vero caperet quarto modo, 460 falsum assumit, quia Deus non diligit illum habitum ut quasi ipsum 465

434 Ad secundam] Cf. supra n. 4. **442** ad confirmationem] Cf. supra n. 5. **448** Ad tertium] Cf. supra n. 6. **460** Ad quartum] Cf. supra n. 7.

ordinet ad vitam aeternam, cum huiusmodi habitus non sit beatitudinis capax; quare propositum.

39. Ad quintum cum dicit quod Deo est acceptabile quidquid secundum veritatem est acceptabile, et breviter concedo totum quod 470 Deus diligit virtutes. Sed ex hoc non sequitur quod non possit acceptare aliquem nisi per huiusmodi virtutes, immo stantibus habitibus huiusmodi, ut dictum est in arguendo, contra eum stat Deum ex sua omnipotencia acceptare vel deacceptare. Sic igitur appetet quod rationes non sunt multum efficaces; quare propositum.

40. Ad rationes conclusionis secundae respondeo. Ad primam cum assumitur quod illud quo divina acceptatio et dilectio applicatur ad animam et cuius participatio est animae formalis ratio ut acceptetur non profluit effective ab acceptatione divina; huiusmodi est caritas; ergo propositum. Quidquid sit de maiore, transeat pro nunc. Dico 480 tamen ad minorem quod si ipsa sic intelligatur quod caritas est tale quid sine quo anima non potest acceptari, nego illam. Loquendo de caritate creata, anima praedestinatur mortali est acceptus ad vitam aeternam, quamvis in eo nulla sit caritas creata; quare propositum.

41. Ad secundam cum dicitur quod impossibile st actum aeternum et immutabilem de novo transire super animam nisi propter participationem novam in anima talis obiecti, breviter nego istam si per novam participationem intelligatur aliquid distinctum a deo et a voluntate. Et ratio est, quia talem actum dilectionis Dei aequa potest 490 immediate voluntas terminare sicut ipse habitus caritatis, et ideo illa propositio falsa est.

42. Ad tertium cum assumit quod ex generali Dei dilectione non profluit creatura in esse, ergo nec similiter caritas, dico quod si capit 495 creaturam in esse reali, falsum est, immo Dei volitio, quae nil aliud videtur quam dilectio, est primaria causa realitatis creaturarum; quare propositum.

<Art. 3: Opinio auctoris. Conclusio 1>

43. Ad declarandum igitur qualiter caritas est necessaria ad recte et meritorie agere potentiae volitivae, pono conclusiones octo. 500 Quarum prima sit ista: habitus creatae caritatis non requiritur in voluntate ut operationis meritoriae causa totaliter effectiva. Haec conclusio sic probatur, quoniam si requireretur, tunc ipsa caritas esset operationis meritoriae causa totaliter effectiva. Sed hoc consequens est falsum, ergo et antecedens. Consequentia patet, et falsitas

C 91ra

468 Ad quintum] Cf. supra n. 8. **475** Ad primam] Cf. supra n. 10. **485** Ad secundam] Cf. supra n. 11. **492** Ad tertium] Cf. supra n. 12.

consequantis multipliciter declaratur. Quaelibet actio meritoria est in 505
 potestate voluntatis, quia per ipsam laudatur vel vituperatur talis
 voluntas. Sed si caritas sit totalis causa effectiva, sequitur quod
 operatio meritoria non est in potestae voluntatis. Quod probatur,
 quoniam cuius principium activum est mere naturale, ipsum non
 elicetur libere sed mere naturaliter; sed caritas est principium activum 510
 mere naturale; ergo si est operationis meritoriae causa totaliter
 effectiva, sequitur quod talis operatio non est mere naturalis, et per
 consequens nullo modo procedit a voluntate. Et ita non est in eius
 potestate, cum respectu illius nullo modo se habeat effective, sed hoc
 est falsum et inconveniens; ergo propositum.

44. Praeterea, quaelibet forma cui ex propria condicione 515
 competit aliqua operatio, si talis esset per se, non minus talis posset
 sibi competere, ut patet de caliditate in igne cui competit calefacere,
 quae tamen si esset ab igne separata, non minus sibi competet
 calefacere. Si ergo per adversarium caritas esset operationis meritoriae 520
 causa totaliter effectiva, sequitur quod si separaretur a voluntate non
 minus meritorie ageret seu produceret meritoriam operationem, quod
 videtur absurdum; quare propositum.

45. Praeterea, dato sequeretur quod habens semel 525
 caritatem, numquam posset amplius peccare. Consequens est falsum,
 ut patet de Petro qui Christum negavit, qui tamen antea fuit in caritate,
 et de multis aliis. Sed consequentia probatur, quia habens formam
 activam sibi praedominantem numquam potest moveri contra 530
 inclinationem talis formae, sicut appareat in corporibus mixtis quae
 sequuntur inclinationem formae praedominantis, ut appareat in levibus
 et gravibus. Unde si esset aliquod corpus aequaliter ex levitate et 535
 gravitate mixtum, illud, ut appareat, in quocumque loco poneretur,
 quiesceret. Sed si caritas sit principium operationis meritoriae totaliter
 effectivum praedominatur ipsi voluntati quae non potest in huiusmodi
 operatione. Ergo sequitur quod semper voluntas sequeretur
 inclinationem talis formae, et ita per consequens numquam posset
 peccare.

46. Ex qua conclusione sequitur correlarie falsitas opinionis
 attribuentium caritati totalem causalitatem meritoriae operationis, qui
 sumebat motivum ex verbis Apostoli, 1 Ad Cor. 15 dicentis: *gratia* 540
 C 91rb *Dei in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi, non*
ego sed gratia Dei. Sed qualiter haec auctoritas sit intelligenda,
 declaraabitur postmodum.

<Conclusio 2>

526 de Petro] Resp. Matt. 26, 69-75. 540 gratia...542 Dei] I Cor. 15, 10.

545 **47.** Secunda conclusio est haec: habitus creatae caritatis non est operationis meritoriae effectivum principium partialiter principale. Volo dicere quod ad aptum meritorium non concurrit principalius habitus caritatis ipsa voluntate. Haec coinclusio sic probatur: quandocumque duae causae concurrunt ad productionem alicuius effectus, quarum una principalius concurrit altera, sic se habent quod effectus sortitur denominationem a principaliter concurrente, ut patet in omnibus causis taliter se habentibus. Sed per oppositum opinantem voluntas et caritas concurrunt ad productionem actus meitorii, et principalius caritas ipsa voluntate; ergo sequitur quod talis actus erit potius naturalis quam liber, et per consequens non erit meritorius, quod videtur absurdum. Immo sequitur quod talis actus non esset in potestate voluntatis, cum magis dependeret ab alio agente naturaliter quod non est in potestate voluntatis quam ab ipsa voluntate. Ex quod ad talem actum principalius concurrit caritas quam ipsa voluntas, quod 555 non videtur verum.

560 **48.** Praeterea, quandocumque duae causae sic se habent quod una principalius concurrit altera, illa quae principalius concurrit utitur altera ut instrumento; sed per adversarium si voluntas et caritas concurrunt ad actum meritorium et ad ipsum principalius concurrit caritas, sequitur quod caritas utetur voluntate ut instrumentum et per consequens habitus utitur potentia quod est pervertere ordinem naturalem, cum potentia utatur habitu, ut vult Philosophus in pluribus locis; quare propositum.

565 **49.** Praeterea, quaecumque causa determinatur ad suum effectum producendum per causam superiorem mere naturaliter agentem, mere naturaliter agit. Ut patet, quia nullo modo tunc effectus huiusmodi est in potestate libera talis causae. Sed si caritas et voluntas concurrunt ad actum meritorium, et principalius concurrit caritas ipsa voluntate, et caritas est agens mere naturaliter, sequitur quod voluntas mere naturaliter agit, et per consequens non meritorie operatur, quia in his quae nobis insunt a natura nec laudamur nec vituperamur; quod videtur absurdum.

575 **50.** Ex qua conclusione sequitur correlarie quod nullus habitus moralis vel theologicus cognitus concurrit principalius ad operationem meritoriam quam faciat ipsa voluntas. Patet ex quo habitus caritatis est perfectissimus et ille non facit a fortiori nec aliquis aliis; quare propositum.

<Conclusio 3>

580 **51.** Tertia conclusio est haec: non stat habitum caritatis concurrere ad intensionem actus meritorii et non concurrere ad actus substantiam ullo modo. Istam conclusionem pono contra imaginationem quorumdam dicentium quod voluntas producit

substantiam actus meritorii et caritas intensionem actus. Haec conclusio sic probatur, quoniam detur oppositum per adversarium, tunc arguo sic: quandocumque activum principium naturale concurrit cum libero, semper agit modo suo et per consequens quantum potest, ut patet de voluntate et potentia sensitiva quae quamvis simul agant, semper tamen sensitiva potentia agit modo suo. Sed si habitus det intensionem actus meritorii, cum semper uniformiter agat, sequitur quod semper dabit aequalem intensionem actus. Et ita cum 590 quantecumque modico conatu voluntas operaretur, semper eius actus esset aequo intensus, quia ipsa voluntate causante substantiam actus habitus, semper naturaliter producit intensionem, quod videtur absurdum; quare propositum.

52. Praeterea, capio duas voluntates specie differentes, puta 600 hominis et angeli, et eliciat certum dilectionis actum, quaelibet istarum cum maximo conamine iuxta proportionem suorum naturalium. Et volo quod Deus in utraque voluntate ponat unum habitum caritatis. Tunc arguo sic: voluntas angeli produxit actum ita perfectum sicut potuit, et similiter voluntas hominis, et tamen unus non est perfectior alio. Ergo istae duae voluntates sunt simpliciter aequalis activitatis, quod tamen non est verum cum sint specificie differentes. Quod autem unus illorum actuum non sit perfectior alio probo, quia illi duo sunt aequalis intensionis, cum ille habitus in utraque voluntate uniformiter agat. Et intensio illorum actuum non provenit nisi ab habitu. Vel aliter staret quod duo actus essent aequo intensi et tamen unus esset perfectior alio, quod videtur absurdum. Et per consequens non stat quod aliud concurrat ad intensionem actus et non ad substantiam eius.

53. Praeterea, vel intensio actus est ipse actus vel aliud sibi 615 intrinsecum, vel non est ipse actus nec aliud sibi intrinsecum. Si primo modo, habetur propositum quod non stat producere intensionem actus talis habitus et non substantia actus. Si secundo modo, sequitur quod nulla est contradictio istum actum esse et nullius esse intensionis, quod videtur absurdum. Et consequentia patet, quia 620 quaecumque duo distincta, quorum nullum est aliud vel sibi intrinsecum, Deus potest sine alio conservare; quare propositum.

<Conclusio 4>

54. Quarta conclusio est haec: habitus creatae caritatis non requiritur ut tantummodo inclinativa ratio in libera voluntate. Haec 625 C 91vb conclusio ponitur contra imaginationem dicentium quod caritas requiritur in voluntate ut inclinativa et non ut effectiva. Quae conclusio sic probatur: quodlibet inclinans aliud trahit illud ad aliud; sed nullus habitus trahit potentiam ad aliud; ergo nullus habitus inclinat potentiam ad aliud. Consequentia patet. Et maior declaratur, 630

quia quaero quid est inclinatio ad praesens: aut quaedam motio, aut determinatio ad aliquid? Si determinatio ad aliquid, tunc calor inclinaret corpus ad calidum et albedo ad album diceretur corpus inclinare, quod non est proprie dictum. Si vero est quaedam motio ad aliud, habetur propositum. Et minor appetit, quoniam cum inclinatio talis, ut iam declaratum est, sit quaedam motio, sequeretur quod talis habitus moveret potentiam si traheret ipsam, cum omnis tractio sit quaedam motio quae non reperitur nisi in motu locali. Unde tractus est proprie vel alicuius mobilis de loco ad locum, vel alicuius passi ad aliquam formam; sed haec non competit habitui respectu potentiae; ergo propositum. Et per consequens nec habitus caritatis requiritur in voluntate ut ratio inclinativa.

55. Praeterea, si habitus ex condicione propria inclinaret voluntatem ad operationem, sequitur quod voluntas sine praevia apprehensione alicuius obiecti, posset moveri ad aliquam operationem, quod videtur falsum, quoniam semper volitus praeponit cognitionem alicuius obiecti ut rationem motivam, et ideo habitus non inclinat ad operationem nisi quia ... ut delectabilem. Delectatio vero allicit appetitum et quodammodo trahit, ut patet III *Ethicorum*. Et consequentia illa patet, quoniam ex quo habitus ex se inclinat et per consequens habet rationem motivi, sive sit cognitio obiecti sive non, non minus ibi est ratio moventis et moti, et per consequens et prosecutio ad operationem. Et per hoc appetit quod habitus potius habet rationem dispositivi quam inclinativi. Unde habituatus ex obiecti praesentia levius operatur quam non habituatus, sicut lingum bene siccum facilius suscipit operationem ignis quam si non esset siccum. Et ex hoc appetit quod siccitas est quaedam dispositio ad calidum potius quam inclinatio. Et licet hoc exemplum sit de potentia passiva, potest etiam exemplificari in potentia activa.

660 Acutes namque in cultello non videtur inclinatio cultelli ad bene scindendum, sed potius quaedam dispositio in activa ad melius operandum. Et sic appetit in proposito et per consequens habitus non videtur habere rationem inclinativi sed potius cuiusdam dispositivi. Et sic est de caritate respectu voluntatis; quare propositum.

56. Praeterea, si caritas haberet rationem inclinandi cum ipsa sit movens naturale, sequitur quod continue inclinaret voluntatem ad dilectionem Dei super omnia, quod videtur falsum, quia tunc ex tali inclinatione posset quis se scire esse in caritate, quod falsum videtur. Nullus enim experitur post confessionem factam debito modo per

C 92ra

633 diceretur] dicerentur *sed corr. C*

649 III Ethicorum] Cf. ARIST., *Eth. Nic.*, III, c. 1 (AL XXVI-4, 411; Γ, c. 1; 1110v 9-16).

quam suscepit gratiam magis inclinatum ad opera caritatis quam ante, 670
et per consequens non videtur quod concurrat ut ratio inclinativa.

<Conclusio 5>

57. Quinta conclusio est haec: habitus creatae caritatis in voluntate non requiritur ut tantummodo modificativa condicio respectu meritoriae actionis. Haec conclusio ponitur contra imaginationem dicentium quod habitus ponuntur ut rationes modificativae actionum potentiarum, non ut rationes quovis modo causaliter effectivae. Quae conclusio sic probatur: quaero quid est habitum modificare actionem potentiae? Vel est actionem denominare, vel ad actionem concurrere, vel est agens ad actionem determinare. Si primo modo, ista non potest esse nisi vel per modum agentis vel suscipientis, quoniam actiones suscipiunt denominationes vel a principiis productivis, vel a terminis productis; ut patet quod in divinis generatio ex parte producentis dicitur paternitas, ex parte vero producti dicitur filiatio. Et si sic, modificatio nil aliud est quam actio, 675 quod isti negant. Nec secundo modo dicetur habitus modificare proper consimilem rationem. Si ergo tertio modo, hoc est quia determinatur, sequitur quod caritas haberet tantummodo rationem inclinandi, vel ergo active vel passive ... determinat agens ad agendum, et similiter forma intrinseca agentis determinat ipsum ad agendum. Non passive, 680 quia sic caritas esset ratio suscipiens voluntariam actionem, quod falsum est. Si vero primo modo, habetur illud quod vitare conantur oppositum opinantes. 685

58. Praeterea, impossibile est alicui communicare aliquam denominationem relativam nisi per communicationem aliquam absolutam, quia ex V *Physicorum*, ad relationem non est motus sicut patet exemplificando. Cum igitur modificari sit denominatio relativa quae convenit ipsi actui ab habitu, quia est debite circumstantionatus, sequitur quod habitus actui non solum communicat esse relativum sed etiam absolutum, et per consequens non requiritur tantummodo ut condicio modificativa, sed etiam ut activa. 695

C 92rb

59. Et confirmatur, nam in actu consideratur duplex bonitas: naturalis et moralis. Moralis vero provenit ab habitu, quia sine tali habitu numquam talis actus esset moralis. Si ergo ab habitu procederet ut moralis tantum sequitur quod ut sic esset productio respectus sine fundamento, sicut quod filiatio produceretur[|] et nihil absolutum, quod in creaturis impossibile videtur. 700

696 V *Physicorum*] ARIST., *Physica*, V, c. 2 (AL VII-1, 196; E, c. 2; 225b 10-12): Secundum substantiam autem non est motus propter nullum substantiae contrariorum inesse. Neque ad aliquid: contingit enim altero mutante verum esse alterum nihil mutans.

<Conclusio 6>

60. Sexta conclusio est haec: habitus creatae caritatis requiritur
 710 in volitiva potentia ut actionem modificans et ipsam quandoque
 partialiter comproducens. Haec conclusio apparet quoad primam
 partem, quoniam quilibet actus qui nunc est acceptus et prius non fuit
 acceptus, aliter est nunc circumstantionatus quam prius. Sed stat
 aliquem actum prius non fuisse acceptum et postea acceptum, ut patet
 715 de eleemoysinis infidelium quae non sunt ad vitam aeternam acceptae,
 qui tamen si sacramenta Christi susciperent, eorum eleemoysinae
 essent acceptae. Ergo cum prius non sic modificantur actus huiusmodi
 et nunc sic, hoc est per adventum habitus caritatis per sacramentalem
 collationem infusi. Et secunda pars, quoniam ex habitibus generantur
 720 actus et e contra ut vult Philosophus, II *Ethicorum*. Et potest ratione
 induci, quoniam quando aliquod principium est ex se indifferens ad
 producendum *a* vel *b*, si producit *b* et non *a*, hoc est per aliquid agens
 concurrens cum eo et determinans ipsam ad *b*, sicut apparet de sole
 qui est ex se indifferens ad productionem vermis vel hominis; ergo si
 725 producit hominem, hoc est per hominem determinantem actionem
 solis; nam homo et sol generant hominem ex II *Physicorum*. Sed
 voluntas est indifferens ad productionem actus fortitudinis vel
 dilectionis. Ergo ubi actum dilectionis producit et non fortitudinis, hoc
 videtur provenire ex habitu amicitiae concurrente cum voluntate. Et ex
 730 ista conclusione sequuntur duae propositiones correlariae. Quarum
 prima est: quod ut informativa qualitas ad acceptationem
 debitam voluntatis. Hoc patet, quoniam ex hoc quod agit meritorie,
 acceptatur; sed ex hoc quod caritas modificat vel producit actum
 huius, talis actus est meritorius, et tales habitudines non sunt per
 735 modum informationis; ergo propositum. Secunda propositio correlaria
 est: solum per communicationem extrinsecam requiritur in voluntate
 creata caritas ad meritorie operandum. Hoc patet, quoniam non
 requiritur nisi ut causa effectiva vel causa sine qua non quod ad illud
 genus reducitur largo modo. Ex quibus apparet quod necessitas est
 740 quod ponatur creata caritas. Et apparet quod non absoluta, id est quod
 eius oppositum includat contradictionem, sed est tantummodo
 necessitas proveniens ex lege nunc rebus data, sicut quod accidens
 non sit sine substantia, cuius oppositum Deus potest facere de sua
 potentia absoluta.

720 Philosophus] ARIST., *Eth. Nic.*, II, c. 1 (AL XXVI-4, 397; β, c. 1; 1103b 21-22); Auct. Arist., ed. J. HAMESSE, p. 234: Ex actibus multum iteratis fit habitus. 726 II *Physicorum*] ARIST., *Physica*, II, c. 2 (AL VII-1, 55; β, c. 2; 194b 13-14): Homo enim et hominem generat ex materia et sol; Auct. Arist., ed. J. HAMESSE, p. 145: Homo generat hominem et sol.

<Conclusio 7>

745

61. Ex quibus quasi sequitur conclusio septima quae sit ista: sine creatae caritatis habitu voluntatem operari meritorie et caram Deo existere est possibile absolute. Haec conclusio sic probatur: quoniam acceptatio actus meritorii non provenit ex habitu caritatis intrinsece et formaliter, ut dictum est, sed solum extrinsece; sed Deus potest facere se solo quidquid facit mediante causa secunda, comitatione tantum extrinseca concurrente; ergo Deus potest acceptare actum purum voluntatis absque alio habitu caritatis, et per consequens talis meritorie operabitur et erit Deo carus sine caritate creata; quod erat probandum. C 92va

750

62. Praeterea, actus ex puris naturalibus a voluntate elicitus, et actus ex habitu caritatis elicitus a voluntate, non videtur differre specifice, cum sint respectu eiusdem obiecti et subiecti. Nec impedit quod aliud principium effectivum concurrit in uno et non in alio, quia mus per generationem et mus per putrefactionem non sunt alterius speciei, licet habeant principia productiva alterius rationis. Sicut etiam Adam, qui fuit sine viro et muliere formatus, non est alterius speciei a nobis. Sed non videtur impossibile quare sicut Deus acceptat unum actum eiusdem speciei cum alio, quin possit et alium acceptare. Et per consequens talis operabitur meritorie et erit carus sine caritate creata; quod est propositum.

755

63. Praeterea, possibile est aliquem habere vitam aeternam et numquam habuisse habitum caritatis; ergo possibile est aliquem esse Deo acceptum sine caritate creata. Consequentia patet. Et antecedens probatur, quoniam caritas vel exigitur propter culpae deletionem voluntatis vivificationem ... aliquem numquam habuisse culpam. Similiter ab instanti suae originis fuisse iustum, ut patet de homine Christo; sed nec requiritur necessario ad meritoriam operationem; ergo sequitur quod absolute possibile est quod dicit conclusio praedicta. Quod autem non requiratur necessario ad meritoriam operationem apparent per praecedentem rationem; quare 760

765

propositum. 770

<Conclusio 8>

64. Octava conclusio et finalis est ista: creatae caritatis praesentia est viatori necessaria secundum legem evangelicam in amoris ardoribus radicatam. Haec conclusio persuadetur: creatura tenetur servare divina mandata; sed ipsa non potest ex puris naturalibus, stante lege, servare; ergo necessarium est sibi aliquod donum ipsum elevans ad debitam observationem mandatorum; tale autem merito ‘caritas’ nuncupatur. Consequentia et maior patent. Et minor probatur, quoniam si ex puris naturalibus posset servare divina mandata, ex puris naturalibus posset consequi vitam beatam, quod est

775

780

785

error damnationis. Et consequentia patet, Matt. 22: *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Et per consequens¹ cum hoc non posset(?) ex se lege concurrente; sequitur propositum. C 92vb

790 **65.** Praeterea, ad haec est auctoritas salvatoris, Ioan. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*. Similiter Apostolus I Ad Cor. 13: *Manent autem fides, spes, caritas, tria haec*. Et ibi quod de caritate evacuabitur quod ex parte est. Quod non potest intelligi nisi de aliqua forma creata; quare propositum.

800 **66.** Praeterea, ad hoc est beatus Augustinus in multis locis. Unde, III *De doctrina christiana* cap. 3: caritas est motus animi ad fruendum per ipsam. Et in libro *De moribus ecclesiae*: caritas est virtus quae animi nostri rectissima affectio est. Unde et Gregorius, *Super Ezechielem*, homilia 8: Deus creat in cordibus nostris amorem suum et ex amantibus cordibus suscipit precem. Unde et Bernardus in *De diligendo Deum* cap. 15 dicit quod caritas caritatem facit, non substantialem sed accidentalem. Et per consequens caritas creata est ponenda; sed nihil est ponendum superfluum; ergo appetet quod secundum leges concurrentes caritatis praesentia in voluntate est necessaria, quandoque ad peccati deletionem et impii iustificationem, quandoque ad meritoriam operationem.

810 **67.** Ex quibus recolligendo appetet quod caritas creata non est totalis causa effectiva actus meritorii nec partialiter principalis, ut salvetur voluntatis libertas cui imputatur actio, sed est partialis causa non principaliter effectiva sed ... ab invicem separabilia, sed necessario lege currente modificat vel efficit actum proprium voluntatis. Et sic appetet quid est de isto articulo sentiendum.

813 sentiendum] sequitur articulus tertius *add. rubr. C*

787 si...788 mandata] Rectius Matt. 19, 17. **790** Nisi...792 Dei] Ioan. 3, 5. **792** Manent...793 haec] I Cor. 13, 13. **797** De doctrina] AUGUST., *De doctr. christ.*, III, c. 10 (CCL 32, ???; PL 34, ???): Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum et se atque proximo propter Deum. **798** De moribus] AUGUST., *De moribus eccl.*, I, c. 8 (PL 32, 1319): Sin virtus illa dicta est, quae ipsis animi nostri rectissima affectio est. **799** Gregorius] GREGORII MAGNI, *In Ezechielem*, I, hom. 8 (CCL 142, ???; PL 76, ???): Ipse etenim creat in sanctorum cordibus amorem, et ipse ex amantibus cordibus precem suscipit. **801** Bernardus] BERNARDI CLARAEVALLENSIS, *Epistolae*, epist. 11, n. 4 (OB VII, 55; PL 182 ???): Itaque caritas dat caritatem substantiva accidentalem; eiusdem, *De diligendo Deum*, XII, n. 35 (OB III, 138; PL 182, 995C): Itaque caritas dat caritatem, substantiva accidentalem. Ubi dantem significat, nomen substantiae est, ubi donum, qualitatis.